

9.

DVBITATIONES
DE QVADAM
CAVSSAE MOTVS MVSCVLARIS
EXPLICATIONE
PRO
GRADV DOCTORIS MEDICINAE

H. L. Q. C.

D. IX. M. MAII

DISPVVTATVRVS PROFERT

IOANNES FRIDERICVS GOTTLIEB GOLDHAGEN

NORDHVSANVS.



HALAE AD SALAM, AERE BEYERIANO.

8

DABLTATIONES
DE GADIAN
CASSAE MOTAS MAGAZINIA
ENRICHATIONE
GRADA HISTORIS MEDICINALI
JOVANNIS HERDITICAS COTTIERE GOTTINGENS
DISPARATARIAS TRACTERET

P R A E F A T I O.

Separauerunt iam olim atque plane disiun-
ixerunt nonnulli theoreticam Medicinæ
partem ab ipsa medendi arte, scientiam
cum hoc nomine accusantes, quod multa con-
iecturalia comprehendat, quae ad dirigendam
morborum euram nihil momenti adferant,
tum afferentes non pauca facienda esse, quae
non stabili ratiocinio, sed sola experientia ni-
tantur. Nec nostris temporibus eiusmodi de-
risores exactioris doctrinae desunt, qui sibi
persuadent, posse aliquem morborum mede-
lam perfecte callere, quamquam physicae ra-
tionis ac medicæ plane sit ignarus: sic studium
medicum specie quidem amplum esse, sed re
inane, & omnem operam, quae rationali theo-
riae detur, frustra insumi. Solent vero scien-
tiae penitioris contemtores id maxime obten-

A
dere.

dere, quod Medici, qua scientiae principia, raro in eadem sententia conspirent, nec minus tamen eadem medendi methodo vtantur. Sed facile intelligi potest, alios temeritate quadam iudicandi de arte, quam plane ignorant, alios, qui ipsi se Medicos ferunt, ad suae ignorantiae defensionem tam iniquam ferre sententiam. Quamuis enim non omnis cognitio ad prudenterum valetudinis curam directe faciat; tamen nexus vniuersae doctrinae explere & firmare poterit, quo praecepta artis vere salutaris clarius perspiciantur certiusue probentur. Quod vero ad illa attinet, quae magis coniectura, quam certis rationibus assequi licet, non multum interesse videtur, cuinam sententiae accedamus, dummodo allaboremus, ut ad certitudinem tandem perueniamus. Quo magis autem hypothesis aliqua ad artis exercitium regen-

gendum contribuere videtur, eo maiori cura
& diligentia eius veritatem inuestigare, eaque
de cauſa omnia dubia ſimpliciter & candide
proferre debemus, donec, quicunque ſit diſ-
ceptationis exitus, res extra omnem dubitatio-
nis aleam ponatur.

Quibus fortasle peccaffe videar, quod de
cauſa motus muscularis, cuius in eruenda na-
tura eruditissimi atque celeberrimi viri eximium
& ſingulare posuerint ſtudium, licet inde pa-
rum vtilitatis in curandorum morborum ratio-
nes redundauerit, inaugurale ſpecimen con-
ſcripferim, iis pauca haec praefari volui. Haud
longo abhinc tempore nouum ſyſtema condi-
tum eſt, quod nouam & antea incognitam yim,
quam IRRITABILITATEM dicunt, muſculo-
rum fibris tribuens, omnem mechanicam ex-
plicationem reiicit. Ipmam turbatae oecono-

miae animalis cognitionem, medicamentorumque actionem *Praeclari Viri* exinde illustrare studuerunt; immo regulas pro cura morbidae irritabilitatis delineauerunt. Hinc factum est, ut inter magni nominis Viros multum, & a quibusdam non sine partium studio, de illa vi disputatum sit. Evidem magni momenti rem esse puto, quae, ut ad liquidum veritas exploretur, summam mereatur attentionem, nec cuiquam vitio dandum esse, crediderim, quaeunque dubia tanti momenti sententiae, donec euicta sit, opponere, dummodo ne veritati obnoxie & refracte repugnemus.

Insignis atque sollertissima industria, qua *Illustris HALLERVS*, & alii celeberrimi *Viri*, hanc partem oeconomiae animalis explanare studuerunt, mirabilem experimentorum numerum suppeditauit, quibus fidem denegare velle,

arro-

arrogantis esset temeritatis. Sed quaerere licet, an eiusmodi vis insita, quae sine neruorum auxilio motum vitalem prouocare possit, ab experimentis satis firmiter probari possit? an, quae sensus in actione muscularum detegunt vim insitam ejusmodi naturae, quam *irritabilitati* tribuunt, doceant? Illa igitur instituti nostri est ratio, ut primo argumenta, quae, neruorum actionem non ad omnem motum muscularum requiri, docere videntur, examinemus, aliaque contrariam sententiam probantia proferamus; deinde autem ipsius systematis irritabilitatis quaedam momenta exquiramus. Quem in finem necesse erit illa, quae ad generalem muscularum illorumque motus cognitionem pertinent, praemittere, & imprimis experimentorum cumuli summam exhibere, quibus vnicet veritas inuestigari potest. Deliberatum qui-

dem mihi fuerat, propriam de vis contraetilis natura atque modo annectere sententiam: cum autem omnia accuratius diligentiusque perscrutarer, & nil nisi hypothesin de hac re proferre adhuc licere perspicarem, intactam illam relinquere malui, quam conjecturarum ingentem cumulum, qui horrore mentem perstringit, noua inutilique hypothesi augere. Cum igitur scopus Dissertationis meae potius ad causam motus muscularis spectet, quae ad plenariam systematis musculosi cognitionem pertinent, v. g. diuersum robur, impedimenta, adminicula nexum, vires compositas aliaque, omni jure mittere licet.



DISSE-



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

D V B I T A T I O N E S

DE QVADAM

CAVSSAE MOTVS MUSCULARIS

EXPLICATIONE.

§. I.

Veterum de muscularorum actione cognitio.



orporum mutationes, quae in sensu incurunt, si quis ex caussis suis explanaturus est, tum demum se huic negotio satisfacturum fore confidat, cum partium mixtarum et compositarum ordinem probe perspexerit. Quapropter non mirabimur, Veterum scholas medicas tam parum utilitatis in oeconomiae mus-

A 3

cula-

cularis explicatione praestitisse, cum magna pars scientiae naturalis adhuc in tenebris lateret, & vera structura instrumentorum, uorum ope motus in corpore animali excitantur & diriguntur, b microscopiorum & iniectoriae artis defectum, oculorum inuestigationi fese subducerebant. Sic quidem factum est, ut *Galeus a)* falsam & ab omni natura alienam fabricae muscularis daret descriptionem, & pro lubitu illa tantummodo instrumenta, quae voluntati obsequuntur, ad eorum classem reuocauerit: atamen & de hac doctrina iustas meruit laudes, quippe qui variis experimentis disserim motus naturalis ab animali, aequilibrium muscularum a contraria directione vim sibi opponentium, qui antagonistae audiunt Anatomicis, & neruorum actionem ad motum necessariam demonstrauerit b). Sed longam seculorum seriem ab illo praeterlapsam esse videmus, quibus nemo Medicorum nouis inuentis hauc partem theoriae nostrae illustrauit, donec Physica atque Anatomica ars innumeris vere rebus delectis nouum splendorem sibi peperit, & mirabilis muscularum oeconomia plurimos perscrutatores ad se allexit. *Cartesius* inter illos primum, ni fallor, ratione temporis sibi vindicauit locum, qui musculi machinam solo spirituum animalium, e cerebro in neruos proflueniarum impetu, moueri proposuit; sed imaginariis tubulis & valuulis neruorum usus c). Mox autem numerosum Physicorum & Medicorum agmen ad elaborandam & explicandam

a) de mot. muscular. t. 2.

b) Nervos dissecto, compresso, inflammato etc. motum in muscularis vel cieri, vel deleri.

c) l. de homin.

Dubitaciones de quadam causae motus muscularis explicat. 9

dam grauem hanc theoriam accessit, ut vix credi possit, quanta variarum sententiarum & opinionum de hac re existat copia. Alii fibris muscularibus propriam vim tribuerunt, qua se contrahere possint, alii autem earum abbreviationem a vi forinsecus adueniente & fibrarum latitudinem distendente deriuarunt, ut plerique auctores ad hanc duplensem classem referri possint d).

§. II.

Variae de muscularum mechanismo sententiae.

Qui vero fibrae muscularis mechanismum & structurae artificio explicare allaborauerunt, cum neque de fabrica, neque de materia, cuius vi irruente laterum distensio absoluatur, inter se conuenerint, iterum in varias abidere partes, prouti fibras mox cellulares, mox vesiculares aut cylindricas proposuerunt. *Borellus* e) fasciculos muscularum & fibris longitudinalibus composuit, quae intus spongiosa substantia replete sint, multisque igitur cellulis seu machinulis rhomboidalibus scateant. Nervorum autem tubulos subtilissimum fluidum spirituosa naturae spongiorum modo exstillare, cuius ex mixtione cum lympha aut sanguine in musculo fermentatio & ebullitio excitetur; concitato autem feroore rhomboidalium cauearum latera distendi, longitudi-

d) Mittimus Stetteri, Liberti, allorumque, de anima ossa sine instrumentorum ope mouente, deliramenta, de quibus *Borellus*: non desunt aliqui, inquit, qui potius Aristotelis, quam naturae vocem audire velint.

e) de mot. anim. t. 1. prop. V.

tudinem decrescere musculumque contrahi, ita ut haec fibrarum mutatio ab illa non absimilis sit, quae a cuneorum actione produci possit. En hypothesis, qua omnes fere calculi eius nituntur! Iam antea quidem *Willisius* illum in modum de hac re ratiocinatus est, dum nerorum spiritibus in utroque tendine receptacula quaedam assignat, e quibus animi iussu versus medias carnes prorumpentes officio suo defungantur g): sed cum *Borellius* speciosa matheſeos applicatione hanc theoriam illustrare & stabilire videretur; multos atque praeclaros nactus est affectatores, *Croonium*, *Bellinum*, *Chiracium*, quorum sententia vel conuenit cum Borelliana, vel parum ab ea ab ludit. Et *Cowperus* quidem cellularum dilatationem se vidisse creditit, tametsi proprio sanguinis ponderi illius cauſam tribuerit h). Imprimis autem *I. Bernoulli* leges huius effervescentiae et principiis physicis euoluere studuit, particulis fluidi neruei formam acutaram tribuens, qua globuli sanguinis disstringantur atque aer elasticus liberetur: quamquam rhomboidalibus machinulis vesicularae cauernas substituit i). Plures dein Physiologi vesiculari fibrae structura in explicanda eius actione vii sunt, sed variis hypothesis vim dilatantem definientes. *Keilius* globulos sanguinis, elastico aere turgidos, a vi attractrice spirituum animalium rumpi & ab explosione aurae elasticae musculos tymescere fibi persuasit k). Ex arteriis in utriculum expansis & sanguine plenis

f) l. c. t. 2. prop. X.

g) de mot. muscl. p. 120.

h) Introduct. ad myotom. p. 6.

i) diss. inaug. de mot. musc. §. VI.

k) de mot. musc. p. 97.

Dubitaciones de quadam caussae motus muscul. explicat. 11

nis fibras nasci, quae a spiritibus inflantibus distendantur, Astrucii fuit sententia. Stuartus etiam e vesiculis composuit fibras, quae a vi sanguinis arteriosi & fluidi neruei elongatae quiescant, ob elasticam autem naturam semper ad contractionem narrantur *l* ; quodsi igitur resistentia illa imminuatur, ad naturalem breuitatem redire, quocum *Perraltius* aliique consentiunt. Verum enim vero permagnam auctoritatem atque vim vesicularum theoriae *Boerhaauii* et *Hambergeri* nomina adulterunt. Ille enim, reiecta efferuentiae hypothesi, ad fluidi neruei impetum omnem dilatationis caussam reuocavit & ab hydraulicis experimentis pro difficultatum resolutione, quae a fere immensis viribus, ad illam dilatationem necessariis, arripiuntur, argumenta duxit *m*). Neque tamen arterias omnis potestatis expertes esse iudicavit. *Hambergerus* autem sanguinem ab interposito fluido nerueo, tanquam humore leuioris naturae, rarefieri muscularique turgescientiam efficer decreuit *n*). E contrario *Tabor o*) vesicularum mechanismum, ob multas gratesque, quibus obstructus sit, difficultates, penitus exscindere allaborauit, cum *Ridleyo* et *Santorino* cylindros coeco fine terminatos substituens. Vti *Boerhaauius* fibras musculares e neruorum ramulis oriri sibi aliisque persuaserat ; ita ab altera parte non defuerunt venerandi viri, qui proximiarum arteriarum productionibus illas habuerunt, quarum cuitas circumiecti nerui tensione constringi & propria vi elastica ite-

B 2

l) de struc. et mot. muscul. p. 40.

m) praefest. in instit. Vol. III.

n) Elem. Physiol. §. 665.

o) Exercitat. medic. II.

rum relaxari possit. Eo redit *Taurii & Verheyenii* systema, quod illustris D. *Bernouillius p)* et *Teichmeyerus q)* tam calculo mathematico, quam experimentis corroborare studuerunt. Nouissimo demum tempore Clariss. *le Catus* proprium etulgauit systema, in quo Borelli cellulas reuocat, earumque expansionem duplii nerorum latici, spiritibus animalibus & fluido nerueo, impertit: nec dubitat tamen, quod subtilissimus humor a sanguine in musculis secernatur, & ad illorum actionem concurrat r).

§. III.

A vi physica nonnulli derivarunt.

Quam diuersi etiam sint, quos breuiter enarrauimus, auctorum de hac re sensus, in eo tamen omnes conuenire videntur, ut fibras a fluido quodam corpore in latitudinem extendi doceant, & hoc modo musculorum functionem e mechanicis euoluant principiis. Multi tamen & praeclarri viri semper ab altera parte steterunt, & vim potius physicam in musculis supposederunt. Ad elateres eam rerulit *N. Stenonis F.* arque ita sola elasticitate angulos acutos, quos fibrae carneae cum tendineis intercipiant, in rectos mutari, quo linea diagonalis necessario abbrevietur, & resistentia eleuetur, docuit s). Similem elasticam

vim

p) *Act. Acad. Petrop.* Vol. r.q) *Physiol.*

r) diff. qui a remp. le prix de l'Acad. de Pruss. sur le principe de l'act. des muscles.

s) *Specim. myol.* r.

vim systalticam *Bagliuus* solidis partibus tribuit *t*). *Giffsonius* autem muscularum vim ab omnibus reliquis hactenus cognitis primo separauit, & *irritabilitatis* nomine illam insigniuit. Atamen nerorum vim minime deluit, sed perceptionem caussam motus esse voluit *u*). Ita etiam *Swammerdamius* sensit, qui non minus fibris muscularibus propriam vim tribuit, ad cuius excitationem solus tantummodo contactus vel musculi vel nerui requiratur *x*), & hunc omnino maiori iure irritabilitatis inuentorem nominare mallem, quam *Giffsonium*, cum hic, praeter vnicum nomen, nil singulare ostenderit, sed omnem motum ad nerorum actionem retulerit. Nouum denique inde enatum est *systema*, cuius in gratiam *Ill. Hallerus* innumera instituit experimenta *y*), quae etiam, si eius theoria minus placeat, maximam rei medicae adferunt utilitatem, & haud exiguae oeconomiae animalis partem egregie illustrant. Cum inclytus ille vir, motum quendam in musculis obseruarer, qui ab illo, quem nerui excitant, satis differre & minus commode ab illorum actione explicari posse videatur, propriam atque nouam vim, sed sub iam cognito irritabilitatis nomine, fibris muscularibus tribuit, quae proprium quasi characterem illarum constituant, & inter fontes generandi motus referenda sit *z*). Illi vnicce deberi musculi contractionem

B 3

insitam

t) de fibr. motr. spec. I. p. 7.

u) de intest. & ventr. c. 7.

x) *Biebel der Natur.* p. 330.

y) *Mem. fur la sensib. & l'irritab.*

z) *El. Phys.* t. IV. p. 461.

tam eam esse in ipsis fibris earumque partibus elementaribus, nec aliunde aduenire & sine neruorum auxilio operari a). Viam semper adesse & sponte sua musculos ad contractionem incitare, saepe nullo, certe qui nobis notus sit, stimulo externo indigam in motum erumpere, fortasse autem stimulum colligere, ab hoc tamen quoties quieuerit, reuocari b). Stimulum in genere a contactu variorum corporum suppeditari, aeris, aquae tepidae, alcoholis, veneni chemici; in primis autem actionem instrumenti mechanici, acuti, pungentis, radentis, lacinantis, aut frigoris vel caloris, multum in excitanda vi irritabili praestare c). Cum hac aliam adhuc in musculis residere, quae forinsecus per neruorum canales ad illos perforatur, quae *nervea* magno viro audit d). Attamen ut propriam potestatem non spectandam esse, sed potius ut augmentum vel incitamentum vis insitae. Omnia, inquit, veri simillimum videtur, fluidum illud nerveum, ignotum quidem, sed celerrimum & subtilissimum, stimuli modo se babere, qui fibrae carneae elementa vndeque pro sua subtilitate penetrabili ad contractionem sollicitat e). Vim autem nerveam non agere sine voluntatis imperio, animique & corporis quasi nuntium intermedium esse f). Neque sub relaxationis statu neruos vim suam exercere, illamque ab huius cefatione oriri g). In enarranda hac theoria quam minime ab ipsis magni auctoris verbis recessi. Eodem autem tempore *Clar. Winterus*, quamquam consuetos motus voluntarios & vesiculari mecha-

a) El. Phys. p. 456.
d) ib. p. 467.
g) ib. p. 469.

b) ib. p. 426.
e) ib. p. 556.
f) ib. p. 470.

mechanismo explicauit, similem vim in fibra musculari suspicatus est, in egregia de motu muscularum dissertatione, cuius naturam postea magis explicare studuit.

§. IV.

Structura musculi et fibrae muscularis.

Hisce praelibatis, ordinis ratio iam iubet, vt pauca de muscularum structura differamus: nolit autem quisquam accuratam perfectamque expectare descriptionem, quam, si desideratur, summorum Anatomicorum, *Ill. Halleri, Ill. Albini & Winslowii* scripta adeat; nobis sufficiet, ea tradere, quae ad fibrae muscularis actionem intelligendam symbolam conferre possunt. Musculus e congerie fasciculorum fibrosorum conflatus est, quorum media caro, rubra, mollis, crassa est, finis autem vterque gracilis, & plerumque albo induito colore, compacter fit atque durior, & tum tendo appellatur. Hi lacerti, sibi accumbentes & telae cellulose ope inter se vineti, communis externo obvolumunt inuolucro membranaceo, quo singulos musculos a reliquis distinguimus *b)*. Fasciculi autem e fibris componuntur longitudinalibus, quae parallelo ductu iuxta se positae, & extremitatibus sibi inuicem implantatae, teretem, cylindrico-acuminatam habent figuram, similique vinculo, ac lacerti, inter se necuntur, & propria membrana cinguntur. Quarum fibrarum facilis est separatio in miuores, quae eandem semper retinent cum grandioribus structuram, & quoisque etiam dexterimae *Leuwenhoeckii*

b) Haller not. ad Boerh. paelect. t. 3. §. 95. n. (a).

hoeckii & *Muyssi* manus in diuisione progressae fuerint, nullam, nisi decrescentis magnitudinis, differentiam detegere potuerunt. Neque tamen omnium fibrarum extremitates inter se coēunt, sed nonnullas membranis alligatas esse obseruatum est *i).* Ultimae fibrae, quae microscopiorum ope oculis conspicitur, mensura vario modo omnino determinata est. Secundum *Muyssi k)* diuisiones fili crassities ad capilli sectionem est vti *i: 676.* & moles *vii: 17576.* *Tabor* autem diametrum vnius fibrae carneae decem diametris globuli sanguinis non majorem esse proposuit, ita vt *360.* juxta positae digiti spatium haud excedant *l).* Major adhuc exilitas e *Leuwenhoeckii* calculis oritur; sed unusquisque, prouti subtilius in diuisione progressus est, variam fibrillis suis minimis tribuisse videatur magnitudinem. Sed vtcunque se res habet, certissime inde percipimus, immensum esse fibrillarum numerum, quae ad vnius vel minimi musculi fabricam concurrunt, & majorem fortasse earum esse copiam, quae omnem oculorum aciem fugiunt. Tendines ab extremitatibus fibrarum carnearum, colorem cum laxiori fabrica mutantibus, nasci diximus; sed proprias tamen insimul adesse fibras tendineas, quibus carneae adhaerent, ex *Muyssi* & *Leuwenhoeckii m)* experimentis constat, quibus etiam *Clar. Hallerus*, ob alia argumenta, fidem suam non denegavit *n).* Maximam autem musculi partem tela cellulosa constituit, quae tam lacertis, quam

i) Leuwenh. ep. phys. p. 13.

k) l. c. p. 272. 277.

l) Exerc. med. p. 189.

m) Epist. physiol. p. 320. *Muyf.* l. c. p. 94.

n) El. Phys. t. 4. p. 432.

quam fibris & grandioribus & tenuioribus interposita est, nec in ipsis tendineis deficit. Cellulae eius tum subtiliori perspirabili materia, tum crassiori pinguedine scatent, ut lubricae semper seruentur fibrae noxiusque impediatur affrictus. Magna vasorum rubrorum, nec non subtilioris ordinis, cum nervorum ad minimas fibras progredientium frequentissimo numero, eam perreptant. Et si consideras, fibrarum in minores diuisionem quam longissime procedere, & hisce omnibus telam cellulosa se insinuare, nimis adhuc parvam esse patet huius partis aestimationem, dum Boerhaauius de viginti partibus musculi fere nouemdecim fabricae cellulosae esse contendit *o*). Caeterum rugas a fibra relaxata fieri, *Leuwenhoeckius* quam saepissime obseruauit, quae vero, si extendantur, evanescant, ut a naturali contractione aut membranulis dilaceratis oriri videantur *p*). Seriem globulorum in minimis fibris *Hoorkius* et *Swammerdamius* viderunt *q*), & hoc etiam trahi possent, quae nonnulli de catenata nodosaque fibrarum fabrica proposuerunt *r*). Quod autem tubuli fibrarum intrus spongiosae sint naturae, minus experimentis probari potest. Fibras autem cum toto musculo viuis longitudinis esse, perhibet *Tabor* *s*); sed non ita rem se habere summi euicerunt Anatomici.

§. V.

o) Prael. in inst. t. 3. p. 363.

p) Leuwenhoeck l. c. p. 7.

q) Biebel de Nat. p. 330.

r) Fortasse ut adipis globuli Swammerdamio imposuerint, & qui nodosas fibras se vidisse crediderunt, vasa lymphatica, quae ob valunas eiusmodi figuram exhibent, confixerint.

s) l. c. p. 189.

§. V.
Actio muscularum, et quidem naturalis.

Mensurā longitudinis fibrae muscularis non semper eadem deprehenditur, sed modo breuiorem, modo longiorem describit lineam. Mutationem, quia' breuior euadit eiusque fines fibi propius accedunt, si a caussa interna producitur, *contraktionem* nominamus; quae illi contraria est conditio, *relaxatio* audit: ad actionem autem *muscularem* vtrique refertur, cuius in *vitalem* et *naturalem* diuisio non suis destituitur rationibus. Videmus enim, musculos vi quadam praeditos esse, quae, cum simul ac vita, vel non ita multo post pereat, ab hac tantummodo dependere videatur; & ab altera igitur, quae post mortem adhuc superest, & nullo tempore fibras deserit, quam maxime differt. Quae naturalis dicitur, statim ac musculus disscinditur, in conspectum venit, siue longitudinali, siue transuersali sectione partes separantur. Animalium enim fibrae aequae ac vegetabilium filaments, elastica vi instructae sunt, qua distractae atque extensae in pristinam breuitatem redire conantur. Haud exiguam esse, experimenta, in chordis ex animalium membranis fabricatis instituta, docent. Cum igitur flexiles partes corporis humani, vel a fluidis, quas in se continent, distensae, vel a firmioribus ossum punctis, quibus annexae sunt, distractae, in statu tensionis semper versentur: quam primum cohaerentia huc vel illuc destruunt, retrahunt se & breuiores euadunt. Eandem fibrarum contractionem obseruamus, cum loco mechanicae vis, qua sodales fibrae a se separantur, acerrimos liquores chemicos in usum vomcamus,

Dubitaciones de quadam eductae motus muscular. explicat. 19

camus, illisque membranas, telam cellulosa, vasa conspergi-
mus; fortasse, quod vi arrodente horum venenorum, cohaeren-
tia quorundam filamentorum imminuatur, & hac ratione illorum
aequilibrium pereat.

§. VI.

Motus muscularum vitalis.

Vitalis actio proprie ad nos perficit: cuius naturam ut
rite accurateque peruestigemus, ad varias spectandam est condi-
tiones, sub quibus excitari solet.

I. Primo obseruamus, musculos corporis animalis, ab in-
tegumentis denudatos, nonnunquam motum exferere, nulla
praesente cauſa externa, certe quae sensus nostros feriat: crispantur
fibrae, breuiores fiunt, alternae relaxantur, & pristinam
induunt longitudinem. Sic reiterata actione tremorem seu pal-
pitationem, vulgo etiam satis cognitam, efficiunt, quae modo
longius, modo breuius temporis spatium absolvit. Varia etiam
vehementia & velocitas, qua contractionum momenta sese subse-
quentur, discrimen hic addunt. Non solum autem in integris
musculis hanc actionem deprehendimus, sed in illis etiam, qui
a nexus cum reliquo corpore liberati sunt, immo in particulis
muscularum discessis. Intestina e corpore evulsa vermiculari quasi
motu repunt, particulae illorum abscessae palpitant; diaphragma
fibi soli relictum nonnunquam tremorem quandam partium sua-
rum ostendit; cor etiam ligatis venis, & sic intercepto sanguinis

C 2

itinere,

irinere, interdum pulsare incipit, donec oscillatio sensim decrescens plane tandem evanescit t).

II. Quiescentes autem fibras varia corpora ad similem reuocant motum. Adspergas aquam calidam vel valde frigidam, aëris flatum impellas, carentibus carbonibus tangas, redit vitalis vigor, nouusque exsurgit motus. Neque tamen cuiuslibet corporis contactus hunc effectum praefstat, nec ab eodem corpore in variis muscularis expectes euentum. Quoad corpora, quorum experimenta capta sunt, aquam quidem, neque frigoris, neque caloris notabili gradu praeditam, itidem corpora blanda, oleosa, obtusa, parum vel nil virtutis praestare obseruatur; eo magis autem acria, salina, venena chemica, instrumentum pungens, lancinans, in excitanda musculari valere, cuius vltimi imprimis vis reliqua multum superare videtur. In ipsis etiam muscularis magnum discrimen adsit, necesse est, quo alii ad contractionem propensiores sint, alii tardiores, alii ab hac potius materia afficiantur, alii ab alia. Cor præ ceteris muscularis in eo excellere viderur, vt facilius in motum erumpat, diutiusque illum continuet. Proxime ventriculum cum intestinalium canali, diaphragma nonnullaque glandulas, vti lacrimales, sequi, experimenta docuerunt. Omnibus hisce partibus corporis aequa ac reliquis muscularis commune est, vt, si a contactu aliorum corporum in motum reuocentur, plures contractionis ictus cum alterna relaxatione se se excipient, & nonnulla temporis momenta vicissim absoluant. Ab hac quidem lege, quod alterna relaxatio motum ab irritatione

²⁾ Mem. sur le mouv.

excitatum semper concomitetur, musculi cui quodammodo discedere videntur. Experimenta huius rei in vesica vrinaria capta, semper conſtrictionem sine ſubſequenti relaxatione oſten-derunt u), in ventriculo autem & intestinis iam ſpaſtico, iam con-ulliua aetio a ſtimulo excitatur. Perpendamus autem, ipsum fibrarum, quae membranis intertextae ſunt, motum, ſenſum perceptioni, ob externum, quo teguntur, inuolucrum, ſeſe ſub-trahere, nec a motu membranarum, ad eum, quem fibrae exerceant, quamquam ille etiam ab hoc dependeat, tuto concludi posſe. Sic corpora aequabiliter progredi videntur, etiamsi vi-ribus momentaneis, ſed celerrime ſeſe excipientibus, moueantur. Nec in omnibus musculis cauſis id evenit, ut ſine relaxatiōne con-stringantur, cum cordis caro alterno motu praedita ſit, & in inteſtiniſ nil certi deprehendatur. Quod vero vesica vrinaria ſine alterna remiſſione contractionem ſuam abſoluat, cogitandum eſt, aliam adhuc vim praeter muſcularem ad eius contractionem con-currere, cum experimenta non mihi in vesicis ab vrina diſtentis iſtituiere liſeat. Ab utriusque igitur vi, tam naturali, quam vi-tali, vesicae contrac̄tio dependet, quo fieri potest, ut motus alio modo perficiatur, quam si alterutra ſeorsum agat. Et si eadem vi tam muſculos cauos, quam reliquos ad motum excitat, cur diuersa phaenomena ſe confpicienda praebent?

III. Plurimum tamen valent in excitando muſculorum moſu nerui, qui illos adeunt & fibrillas suas in eorum lacertis

C 3

diſper-

u) Mem. ſur la ſenſ. & l'irrit. t. I. Sect. XIII.

dispergunt. Nota sunt experimenta, quae *Bellinus* & post illum multi Anatomici in primis in neruo phrenico instituerunt, nec *Galenum* huius rei imperitum fuisse, antea probauimus. Sic tensio nerorum, leuis pressus, punctura, laceratio, muscularum palpitationem & contractionem prouocat. Et, quod magis mireris, cum vis, quae in neruis viger, proprie a cerebro dependeat, primoque igitur intuitu videri possit, neruorum laesionem, nexus eorum cum cerebro intercepto, nil potestatis amplius praefituram esse; tamen infra ligaturam vel compressionem nerui vis nernea non statim perit, sed sensim tantummodo decrescit, & eo quidem ordine, ut a superiori loco versus inferiorem cedat α). Idem euenit, si neruus discinditur. Post mortem etiam per temporis spatium reliqua est; immo musculus cum neruo suo e corpore resectus sola nervi tensione ad motum reddit. Quod vero a mutatione viiis nerui in singulis muscularis euenire videmus, in pluribus a cerebri medullaeque spinalis laesione magis conspicuum redditur. Cuius rei plurima exstant testimonia in *Celeb. Halleri* Element. Physiol. libr. X. §. VII. Vti autem corpora externa neruorum vim, quam in muscularis exercent, sat valide excitare valent; ita mentis voluntas imperia illi dicitat, potestatemque in plurimos musculos tenet.

IV. Discisis vel compressis neruis, musculari, qui illis, quos nerui adeunt, ab antagonistum, vti dicunt, munere sunt, sese contrahunt ossaque, quibus adhaerent, flectunt β).

V. Post

α) Swammerdam Biebel der Natur p. 329.

β) Nuck. experim. chirurg. XXVI.

V. Post magnam denique sanguinis iacturam' enormes atque horrendi motus conquassant corpus animale. Sic homines, qui multis vulneribus exsangues fiunt, animalia mactata, crudelissimis extinguuntur conuulsionibus, & in feminis haemorrhagia vteri per abortum excitata, aut lochia immoderate prouimpentia, similem scenam tristi modo ludunt z), unde *Hippocratis aphorismus a)*: Conuulsio fit aut a repletione, aut euacuatione.

§. VII.

Relaxatio musculi.

Antea iam monuimus, probabile esse, omnem sere contractionem subsequi relaxationem. Cum autem contractio musculorum non idem semper absoluat temporis spatium, mox citius, mox tardius in conspectum venit, & ipsa gradu differt. In genere autem obseruamus, illis sublatis, quae in caussa contractionis sunt, relaxationem prodire & hac finita musculos quietescere. Hinc I. contactu corporum a fibris remoto, ad pristinam recurunt longitudinem. II. Actione nervorum cessante, impedita aut destrueta, idem obseruamis. III. Impeditus sanguinis ad musculos affluxus minuit contractionem & ad relaxationem potius disponit: Quod probant arteriarum ligature, saepius a claris viris cum eodem effectu institutae b).

§. VIII.

z) Perill, v. Swiet Comment, in aph. Boerh, §. 232.

a) Sect V. aph. 4.

b) Swammerd de respir. p. 62, Vieussem. neuvrol. p. 161, Stenon. F. l. c. p. 470. Haller. Mem. sur le mouvem. du sang, exp. 52. le Cat. l. c. p. 7. & seq.

§. VIII.

Irritabilitas & irritatio:

Cum de causa motus muscularis nobis iam sermo faciens sit; tam ad contractionis, quam relaxationis actionem eiusque vim respiciendum esset: sed systematis de irritabilitate quaedam momenta perscrutaturi, ad contractionis potissimum causam cogitationem nostram dirigimus. Cum autem verba *irritabilitatis*, *vis irritabilis*, *irritationis*, *irritamenti s. stimuli*, variis sensum admittant, enixe curandum est, ut eorum notio rite determinetur, quod etiam adhuc magis necessarium esse puto, cum impropre huius loci adhibeantur & ab animatis rebus ad corporea transferantur. Contractio muscularum a causa interna producitur, quam quocunque nomine designare velis, nil interest: *vis irritabilis* vulgo dicitur. Observations autem & experimenta hanc vim non semper adesse docent, quamquam facultas sese contrahendi nunquam in musculis desit. Requiritur igitur mutatio quaedam status interni muscularum, ut vis contractionis generari possit. Ab externa autem vi illam mutationem muscularum induci, illa, quae in §. VI. n. II., III., IV., V. tradita sunt, testantur: & quamquam nonnunquam in musculis denudatis motus quidam contractiorius obseruatur, nulla praesente causa externa, quae ad illum generandum contribuere possit, vel potius, sensibus nostris nullam detegentibus; tamen quandam subesse persuademur, cogitantes, non semper adesse huncce motum, sed tum demum potissimum insurgere, cum aer nudas partes attingat; aerem autem inter corpora externa, muscularum motum excitant.

citantia vi sua multum eminere. Actionem igitur corporum extenorū, qua mutatio illa, ad vim irritabilem generandā necessaria, *irritationem* nominamus: ipsa autem corpora, vel quaecunque res irritationis rationem in se continent, sub *stimulorum* seu *irritamentorum* nomine ventilari solent. Sic ad *irritabilitatis* notionem deuenimus, quae facultatem muscularum sese contrahendi, irritatione perpeſſa, aut potentiam irritationis passiuam designat *v*). Nomina sunt, quae legis, ad distinguenda phænomena eorumque cauſas adhibita: nihil explicant, nihil conferunt ad cognoscendam motus muscularis cauſae naturam atque agendi modum. Quod autem de irritabilitate conditum est ſyſtema, hic non ſubſttere voluit, ſed vario modo vim illam determinauit & propriam ſedem illi assignauit. Superius iam praecipua momenta annotauimus (§. III), quapropter etiam repetitione ſupersedere poſsumus. Nemuos non neceſſario ad irritabilitatem requiri; vim eſſe in elementis fibrarum iſiſtam; a reliquis diſtinctam; nouam; ſponte ſua nonnunquam motum muscularē erumpere; ſunt, quae cogitationib⁹ noſtriſ in praefenti perſequemur.

§. IX.

- e) Haud negare poſſum, admodum me mirari, cum tam multi auſtores irritabilitatem pertraueerint, paucos tamen in vocibus, quae huic pertinent, definiendis operam locaſſe, & quod cum nonnulli facere voluerint, alios, irritabilitatem per vim, quae ad contactum fibrarum contractionem producat, & irritamentum, per id, quod contactu ſuo vim irritabilitatis excite, explicantes, in errorem circuli delapsos eſſe, alios autem, fortasse ut a simili errore caueant, ſtimuli ſeu irritamenti definitionem plane omiſſe.

D

§. IX.

Neruorum actio ad motum muscularare requiritur.

Cum anatomica muscularorum inuestigatione, pernagnam
neruorum copiam illos adire doceamur, nullamque fibras illis
destitutam esse d); & ab experientia constet, acerrimos motus
neruorum ope prouocari: plurimi Physiologi afferuerunt, omnem
motum a *sensibilitate seu vi nervea* dependere e). Hisce re-
spondens *III. Hallerus*, grauissimis argumentis demonstrare co-
natur, muscularorum vim neque a vi sentiendi, neque ab alia ner-
uorum potestate generari, & sine horum auxilio satis efficacem
esse in producendo motu, illo imprimis, qui animi regimen non
agnoscat f). Antequam autem, quae pro contraria sententia
pugnare videntur, proponam, necesse erit, ut de duplice ner-
uorum genere quaedam praemittam. Nerui sine dubio varias
mutationes admittere possunt, quarum aliae ideam in animo pro-
gignunt, aliae vero nil in sensuum ordine mutant. Ipsa vis ner-
uosa, quam *insitae* addit *Hallerus*, a sensuum oeconomia ita distin-
cta est, ut saepius enormes stupendosque motus in toto corpore
prouocet, sensorium autem systema intactum relinquat, qua-
propter etiam nonnunquam homines crudelissimae conuulsione
agitata-

d) Haller, El. Physiol. t. I. p. 70.

e) Sensibilitatis vox ambigua esse potest, cum naturaliter sensus ideam
prouocet, quam tamen, qui in sensibilitate motus causam situm esse
dicunt, non omnes cum illo vebo coniunguntur. Pierunq[ue] igitur
in genere per sensibilitatem omnis nervorum agendi facultas intelli-
gitur, sive ad motum, sive ad sensum species. Quoties h[ic] reen-
trit ad vim motoriam referenda erit, quamquam per vim nervae
melius designari posset.

f) El. Phys. t. IV. p. 457. & sequ.

agitationis plane nescii sunt. Duas igitur in neruo distinguimus conditiones; unam, quae sensationi excitandae apta est, alteram, quae in gignendo motu se efficacem praebet. Perscrutandum igitur est, an utraque vis in unica fibrilla neruea habiter, vel singulo negotio singulae conueniant? Primo quidem nerui motorii in fibris muscularibus terminantur & cum illis intime coniunguntur, reliquorum autem plurimi, quibus externorum corporum species ad cerebrum atque mentem perferre demandatum est, pro varia sensuum ratione, extremitibus suis varia sensoria formant. Sed magis perspicuum discrimen in ipsa mutationum, quas nerui patiuntur, natura positum est, si ad variam motus fluidi neruei directionem attendimus. Illa enim nerui mutatio, quae rerum externarum perceptionem ad cerebrum propagat, ibidemque menti repraesentat, motum supponit a parte nerui inferiore originem versus tendentem: quae vero motum in fibra musculari accendere debet, contrario motu versus finem progrediente absoluatur, necesse est. Quod vincularum neruis injectorum historia egregie confirmari videmus, dum ligatura omnem motus causam supra illam applicatam impedit & inferiorem irritationem ad mentem perringere prohibet. Similem ob rationem obseruamus, ab irritato neruo illos tantummodo musculos conuelili, quorum nerui infra locum affectum e ramo progrediuntur. Cum autem vis neruea eo etiam tempore, quo musculi relaxati esse, & plane quiescere videntur, ad motum illos solliciter, quod ab effectu nerui discissi (§. IV. n. IV.) probatur, fluidum nerueum a cerebro versus fines neruorum, qui ad musculos abeunt,

iugiter moueri, credere licet. Quodsi igitur idem nerui tam sensuum, quam motuum negotio insimul inseruant, duplex motus, sed plane contrarii generis, in illis assumendus esset, nec fieri posset, quin luctatio, humanitatis systemati quam maxime pernicioſa, inde oriatur g). Quapropter duplex neruorum species, cuius altera sensibus, altera motui praesit, in corpore animali adſit, necesse est. Quod assertum probant etiam morborum affectiones, quae mox sensum in artibus deſent, motu ſuperfite h), mox, remanente ſenu, motum deſtruunt i). Noli autem, quae de hac re enuntiaui, ad crassiores, quos oculis contemplamur, neruos applicare, quippe qui fasciculos innumerorum tubulorum conſtituant, ſed de minimis atque ultimis fibrillis tantummodo, quod afferuimus, intelligas. Quam ob cauſam nulli negamus, neruulos motorios & sensorios in eodem fasciculo dura matre obvolutos exiſtere, quamquam olfactoriū & opticū par ſenſationis muneri vnicē destinatum eſſe videatur. Neque inſtitutum iri credo, vtriusque generis neruos in ſensorio communi nexus inter ſe inire atque mutuas actiones ſibi communicare k).

Primum argumentum a diuersa ſensibilitatis & irritabilitatis ſede deducitur, cum multae partes corporis animalis ſentiant, neque tamen irritabiles ſint & v. v. partes quam maxime irritabiles ſtupide ſentiant: & ſic quidem, qui cauſam irritabilitatis

g) Ridl. anat. cerebr. p. 155.

h) Wepfer. de apoplex. p. 288.

i) Senac. tr. du coeur t. II. p. 292.

k) Nonnulli etiam hinc probari credunt, ciecularem fluidi neruei motum eſſe. Vieuffen. neuviogr.

tatis in ipso sensu quaesuerunt, propugnaculum suum deici vi-
dent; nequitiam vero omnis nervorum potestas hac obiectione
refellitur. Si enim magna motoriorum nervorum copia ad par-
tem quandam ducitur, paucis vel nullis sensoriis accendentibus,
irritatione acerrimus motus protiocari poterit, debili vel nulla
praesente sensatione & v. v.

Hinc caussam euoluere possumus, cur sensilissimae par-
tes non in eadem ratione sint irritabiles, & valde irritabiles pa-
rum sentiant? cur cor, haud paucissimis nervis perreptatum,
obtuse quidem sentiat, velocissimo autem & perenni mortui fe-
rendo non succumbat? cur atrocissimus, saepe dolor nec villos
excitet motus, & e contrario convulsiva muscularum agitatio,
dormiente quasi sentiendi facultate, horrendum aspectum ocu-
lis praebeat?

Quod autem polypis aliis insectis, cerebro aut capite
destitutis, in quibus nullos adhuc nervos detegere licuit, vel etiam
plantis irritabilitas competat; quam firmum sit hoc argumentum,
ex ipsis verbis *Ill. Halleri* alias dijudicandum remitto. *Nous de-
vons, ait, bien prendre garde à ne pas employer l'analogie des in-
sectes, qui sont irritable & sensibles par tout l').* Nec minus
facile esset, ex eodem fundamento nervorum officium, quod sen-
sibus praefant, impugnare, cum nulli animali sensatio denegari
possit, nec minus tamen quedam sine cerebro existere dicantur.

Grauius argumentum exinde deducitur, quod impedita
nervorum actio irritabilem fibrarum naturam non destruat. Cer-

te experimenta docent, neruo ligato atque resecto, eandem esse irritabilitatis constantiam; immo omni cerebri substantia remota, musculo de omni nexo cum corpore separato & minutim discesso, mox irritatione motum reuocari posse. Verum quidem est, in hisce experimentis communicationem neruorum cum cerebro intercipi, sed, si hanc rationem ad nostram caussam applicare velles, omnem neruorum actionem, sublato cum cerebro nexo, destruetam esse, demonstrandum esset. Potius ab altera parte luculenta possunt adduci experimenta, quae aperte ostendunt, sublato praedicto nexo, vel a perfecta morte, in neruis sat validam potestatem excitandi motus muscularis adhuc superesse. Ligato enim neruo, compresso, abscesso, si infra laesionis locum stimulum admoues, eiusmodi adhuc efficaciam esse obseruamus, ut nihil fere de illius potestate decessisse videatur *m*): & *Swammerdamius* muscularum cum adhaerente nerui trunco de ranis euulsi, & huius irritatione illum ad motum reuocauit *n*), quapropter etiam *Ill. Hallerus*: *apparet*, ait, *caussam motus equidem per neruos demitti*, *caeterum quaecunque ea caussa sit*, *aliquamdiu tamen in neruo integrum & efficacem superesse*, *etsi neruus a cerebro separatus*, *eam caussam nuper non accepit o*). Cum igitur nondum definire liceat, quoisque haec vis in neruis residet, nequaquam concedi potest, illam irritabilitate citius perire. Caeterum ab experimentis docemur, vim nerueam celerius euanescere in superioribus

m) *Hall. El. Phys.* t. IV. p. 337.

n) *I. c. p. 331.*

o) *I. c. p. 338.*

bus nervi partibus, tardius in inferioribus, ita ut in extremis partibus quam diutissime remanere videatur p).

Sed iterum concludit *Illi Hallerus*, motum muscularum a nervis non dependere, cum nervorum vis non in eadem ratione cum contractili sit, & debilia corpora magis sentiant quam robusta. At cuine ignotum est, debiles homines insimil subitanis & stupendis motibus saepe obnoxios esse? Hystericae feminae quoties nonne vehementissimis spasticis constrictionebus, cardialgia, asthmate conuulsio, gulæ constrictione, crudeliter vexantur? A morbo conualescentes, infantes, quorum systema nervosum adhuc maxime sensile est, a leui irritatione, cruditatibus primarum viarum, animi affectibus, etc. in conuulsius & epilepticos motus consiciuntur, cum e contrario robusta corpora maiorem perferre possint sine incommodo irritationem, quod ab omni parte ita verum est, ut in ordinanda medicamentorum portione ad hanc normam respicere cogamur. Quoad diuturnitatem autem motuum eorumque robur, haud negabimus, robustiora subiecta præ debilioribus multum praevalere, sed eundem etiam ordinem quoad sensus obseruamus. Patet igitur, debilia corpora in eadem ratione irritabilita esse ac sensibilia.

Fumi caustici irritabilitatem suppressare, sed dolorem potius cire dicuntur; hinc igitur, quae motum tollunt, non ideo sensum delere. Sed a fumis causticis sensationem non minus in discrimen incidere, quam irritabilitatem, plura exempla docent. Carbonum vapore enecti sine dubio aufugissent, si ullum dol-

p) Swammerd. I. c. p. 329.

doloris aut anxietatis, quae cum suffocatione necessario coniuncta est, sensum percepissent. Animalia accenso sulphure stu-pida statim euadunt, nec ullum ingratae sensationis signum edere valent.

Denique etiam ab opii effectibus, quos corpori animali infert, neruorum actionem ad omnem contractionem musculo-rum haud necessariam esse, probare voluerunt. Neruorum enim munera a vi opii quam celerrime defrauentur, perit cum sensu & motu animalis vigor: cordis autem indefatigabilis actio non tam facile opiatris sopiri videtur. Nisi igitur alia adhuc vis, a nerua plane distincta, cor ad perennes motus sollicitret, idem effectus expectandus esset. Sed in ventriculo & intestinis eandem vim a neruis alienam supponunt, & nihilo minus omnis vita ac vigor in illis, opio assumto, deletur *q*), vt inde appareat, diuersitatem effectus minus a differentia vis, quam potius a quacumque alia cauissa dependere. Cum enim a cordis integra constitutione omnium fere actionum sanitas atque vita dependeat, sapientissimum Creatorem sine dubio nobilissimam illam corporis partem ita in tuto collocasse putauerim, vt periculo atque insidiis rerum noxiarum quam maxime vacua sit.

§. VIII.

Aliis argumentis probatur.

Quodsi igitur neruorum vis hisce obiectionibus nondum deletur, & aliae potius rationes se offerunt, quibus directe demonstrari videtur, ad omnem motum vitalem perficiendum ner-

q) Wepfer. de cicut. aqu.

uos concurrere: ab irritabilitate illorum actionem non separandam esse censeo. Quae vero addi possunt argumenta, vel ab applicatione stimulorum, vel propagatione illorum, vel ab effectibus destructae actionis neruosa deducenda erunt. Si stimulo quounque vis insita excitari debeat, sine intermedio neruorum auxilio; necesse esset, ut corpora irritantia ipsas fibras musculares contingant. At consideres velim plurimas actiones corporis animalis, quae ab irritabilitate peragi dicuntur; nec dubitauerim, quin mecum conuenias, stimulum in hisce exemplis potius nervis, quam fibris muscularibus applicari. Naturalis aëris in- et expiratio in dormientibus aequē bene procedit, quam in vigilantibus, & infantes vero exclusi, nulli de huius actionis mechanismo aut necessitate instructi, aërem simili modo ac adulti ducunt, ita ut naturalis respiratio potius a mechanicis quibusdam legibus, quam a voluntate dependere videatur, quamquam haec illam intendere vel retinere possit. Potius credere licet, aëris stimulum, narium, asperae arteriae, bronchiorumque neruos excitare & per consensum musculos intercostales, diaaphragmatis aliosque, qui respirationis functioni inseruiunt, irritare. Sternutatio atque tussis hoc affirmare videntur. Illa enim, quae violento modo aërem explodit, a sola titillatione neruorum primi paris procitari potest: haec autem materiam viscidam, acrem aut alio modo peccantem, in alpера arteria bronchiise sedentem, pro caussa agnoscit. Ventriculi & intestinorum motus a corporibus variae naturae ingestis efficitur, & ab illis potissimum, quae acrimoniae speciem referunt. Cum autem fibrae musculares non nudae in interna horum can-

E

lium

lum facie positae sint, sed a cellulosa, quam nerueam dicunt, & villosa tunica intus sustententur, particulae irritantes non ipsis fibris muscularibus applicantur, sed nerueas tantummodo, quae villos concomitantur & cum illis sub papillarum forma in internam caueam hiant, vellicare possunt. Simili modo de actione vesicae vrinariae ratiocinari possumus, cum illius structura cum intestinorum fabrica in eo conueniat, vt fibrae musculares in interiori facie a substratis membranis nerueis atque mucosis tegantur, qua propter vrinæ acrimonia irritans neruos ad maiorem actionem in fibras musculares stimulat *r).* Vteri etiam contractionem, qua foetus excluditur, neruorum auxilio tribuendam esse, dolores parturientium omnisque partus historia docent. Dum partes musculosæ agunt, si etiam unicum punctum irritatum sit, non solum illa fibra, quam lacesciuit, se contrahit, sed totus musculus conuellitur, unde consensum, quo sub omni actione fibrae conspirent, inter illas intercedere docemur. Quod ita se habere non possit, nisi vis stimuli, quaecunque etiam sit, ab unica illa fibra, quam irritat, ad reliquas transmittatur, qua percepta se constringere queant. Si autem in viam stimuli propagati inquirimus, vel ad vasorum, vel telæ cellulosa, vel neruorum nexum attendendum erit, praeter quem aliis non adest. Fibrarum quidem extremitates inter se coalescunt, sed dum insimil diores & rigidæ euadunt, mobilitatem amittunt. Cum autem vasorum natura ad hanc rem commode applicari nequeat, vel a nervis vel a tela cellulosa illius explicationem tentare debemus, quibus utris-

que

r) Haller. Prim. lin. Physiol.

que etiam *Ill. Hallerus* facultatem stimuli propagandi tribuit s). Sed candidus profiteor, me neutquam perspicere posse, quomodo filamenta cellularia, quibus fibrae motoriae neglectuntur, has ipsas irritare & ad motum disponere possint, cum illis nulla vis, praeter lenem tractionem, competit. Telam enim cellulosa pungas, laceres, seu quolibet stimulo lacessas, nil sentit musculus in quiete remanens. Soli igitur restant nervi, qui irritamentum percipere & propagare possunt, & utri consensum inter omnes musculos totius corporis efficiunt, ita etiam inter singulas fibras hoc munere defunguntur.

Multo magis autem nervorum virtus ex hoc fundamento vindicari poterit, quod omnis actio muscularis, quatenus ad integratatem corporis viuentis requiritur, destructa vi nerva plane sufflaminetur, nec ipsi cordis musculi, quibus maximam tribuunt irritabilitatis potestatem, hac lege tenentur. Quotiesne experientia edocemur, omnem motum cordis, & eo facilius reliquorum muscularum, a laesione cerebri grauiori subito sopiri? Vulnera cerebro, cerebello, medullae spinali inflicta, nichil citius saepe totum corpus aeternae tradunt quieti: Similiter cerebri compressio, a sanguine aut fero extrauersato facta. Nec minus particulares nervorum laesiones impronisam mortem saepe prouocarunt, ut imprimis immortalis *Boerhaavius* maxima cum admiratione pluries in classiariis, quibus unus vel alter mesenterii nervus cultro discissus erat, obseruauit t).

Plura eiusdem rationis exempla ad-

E 2

duci

s) El. Phys. t. IV. p. 467.

t) de morb. nerv. t. II.

duci possunt, in quibus vnicē neruorum systema laesum fuit & statim cordis motus paulam fecit, vel etiam irreuocabilis periit. Dolor ab evulsione dentis excitatus sub ipsa operatione intermit u): vermes & cardialgici dolores lipothymiam & syncopen prouocant. Imprimit autem mirabilis animi affectuum efficacia attendi meretur, quippe quae haud parum valet in alteranda vi cordis atque muscularum. Terrorem x), laetitiam y), iram z) subitaneae mortis extitisse caussas, frequens experientia loquitur. Nonne in hisce exemplis neruorum systema alteratum, vitalis motus rigorem prostrauit?

§. XI.

An irritabilitas vis insita fibrae elementaris?

Cum fibrae muscularares ad corpora organica pertineant ex minoribus organis composita, in illarum structura, quam fibrae elementares, nerui atque vasā efficiunt, vis, qua se contrahunt, quaerenda erit. Quodsi autem neque in vasīs, neque in nervis eiusmodi vim contractilem deprehendimus, fibrae elementares vel compositionis modus illam exhibeant necesse est. In illis insitam esse, irritabilitatis systema perhibet. Quod a priori, vt dicunt, si demonstrare velles, vel e compositione fibrae elementaris ratio erienda esset, vel aperte demonstrandum esset, vasorum, neruorum & fibrae elementaris compositionis modum ad hoc negotium nullum sufficere. Quod ad posterius momentum spectat, quamquam nullus

u) Forest, obser.

x) Pechlin, obser. phys. med. plures obser. L. III.

y) ibid.

z) Sennert. Prax. p. 4.

00 A 6328

ULB Halle
002 836 53X

3



Retro ✓



9.

DVBITATIONES
DE QVADAM
CAVSSAE MOTVS MVSCVLARIS
EXPLICATIONE
PRO
GRADV DOCTORIS MEDICINAE

H. L. Q. C.

D. IX. M. MAI

DISPVATATVRVS PROFERT

IOANNES FRIDERICVS GOTTLIEB GOLDHAGEN

NORDHVSANVS.



HALAE AD SALAM, AERE BEYERIANO.

